

ves in altum proiectæ, intendentibus se tenebris, aliquid detrimenti caperent, satius portum ingredi duxisset. Ibi peditatu, bellico apparatu, ac commeatibus subductis, Tamasso ingenti lætitia repleto, spe reliquas quatuor triremes, quæ intra Constantiam sese receperant, intercipiendi ductus digreditur. Hostes, in depresso triremum extantes mari reliquias igne injecto, nostris, qui, oborto fumo, carinas ab iis inungi suspicabantur, clusis, præter omnium opinionem noctu, favente vento, in altum elati, incolumes evasere. Postridie Quirinus majorem triremem, quæ trecentis Janizzeris, militari annona, aliisque in usus terrestrium copiarum necessariis onusta, recta Constantiam ferebatur, adortus, plerisque cæsis, reliquis captis, in suam potestatem rededit. Prædam in militiæ comoda in Tamassum invexit. Aliud præterea navigium cum Turcis ducentis, ac bellico apparatu cepit; Damasci Bassa, qui eo vehebatur, parvo lembo, ac densa, quæ se sustulerat, nebula protæsto, vix evadente. Exinde munitione, quam hostes ad Constantiæ fauces erexerant, solo æquata; nonnullisque e terra in Gambella scopulo propugnaculis, quibus ea ex parte oppidum quatere cooperant, dirutis; quidquid præterea ad communiadam Tamassum conferre poterat, in urbem connecto, navibus, quæ subsidia importaverant, atque tribus onerariis, quæ post Hieronymi Martinengii pedites expositos, portu detinebantur, remulco avectis, vela dare jussit: ex iis Cornelius vetustate fatiscens, undis absorpta est; reliquæ incolumes Venetias pervenere, maximoque usui ea tempestate Reipublicæ fuere. Quirinus re egregie confecta summis omnium laudibus concelebratur: in Cretam delatus, mox Corcyram, ubi Sebastianum Venerium classis imperatorem designatum inventus, profectus est.

Interea cum (ut diximus) a Barbaro missi Venetias accedissent, iisdemque difficultatibus fœderis negotium obvolvereatur; Pontifex ob subortas denuo cum Maximiliano controværias suis tutandis ditionibus intentus, neque commeatus, neque milites permitteret; ac nonnihil de pristino in Venetos studio remisisse videretur: ad pacem flectere Patrum mentes cœpere; atque Jacobum Ragazzonium, virum prudentia & rerum usu præditum, qui cum magna in totius Europæ emporiis

Jacobus  
Ragazzo-  
nius Byzan-  
tium mit-  
titur, &  
ejus man-  
dato.